Ob leviſsimã cauſam Viri uxores repudiabant. Sed mulieres ob nullam Viros dimittere poterãt: Viriadmodum libidinoſi erant & obſcœni. Hiſpani quidem populi frequentia excultam invenerunt, at nunc pene a ſolis habitatur Hiſpanis, quod Indigenæ partim fame, & laboribus, partim lue venerea interierint, ac potiſsimam Incolarum partem in Hiſpaniam Novam, poſtquam a Corteſio ſubjugata eſſet traduxerint, ut jam vix Indorum ullus, aut ullæ ipſorum reliquiæ ſuperſint.

Hiſpaniola.

Regio. Nomina. Situs.

HANC Inſulam Incolæ *Haity* & *Quiſqueia* quondam vocaverunt, *Cipangi* quoque nomen poſtea tulit. Hiſpani a ſe *Spaniolam* ſive *Hiſpaniolam* & a *Dominico S. Domingo*, ſive *Dominici* Inſulam: cujus etiam honori urbem exſtruxerunt, quæ omnium eſt præcipua. Hujus Inſulæ ambitus CIↃCCCC milliarium, ſeu CCCL leucar. Longitudo IↃ milliar. Latitudo pro Sinuum & Promontoriorum ratione varia. Hanc P. Martyr reliquarum omnium Inſularum genitricem vocat. Medium Inſulæ ab Æquatore diſtat gradibus pene XIX. Verſus Boream forma oblonga eſt, panditur enim ab Ortu in Occaſum. Aere fruitur temperato, unde Arbores ut plurimum perpetuo virent: eſtque præ cæteris omnibus amœna & fertilis. Sacchari cannas aiunt hic altiores craſsioreſque eſſe, quam uſquam alibi. Fertilitatis indicium hoc eſt, quod Triticum ſatum centuplum reddat. Valentiæ in Hiſpania ex unica canna vix ſeptem phialæ implentur: in Hiſpaniola viginti, ſæpe etiam triginta. Gignit præterea hæc regio Caſsiam fiſtulam, Zingiber, Maſtichen, Lignum Aloes, & Cinnamomum: Salis etiam uberem proventum habet. Auri & Argenti Fodinæ ſunt divites: eſt & aliorum foſsilium non parva quantitas, præcipue vero coloris cærulei. Ante Hiſpanorum adventum tria tantum hic erant Quadrupedum genera, nunc importatis aliunde animantibus ita repleta eſt, ut ex ea pellium & coriorum magna vis quotannis in Hiſpaniam exporterur. Vrbes hujus Inſulæ multæ ſunt: præcipua eſt *S. Dominici* ad oſtium fl. *Ozama*, ſede Epiſcopi & Vicarii Regii inclyta. Sunt & Vrbes minores, *S. Joannis*. *Meguma*, *Portus Platæ*, *Portus Regius*, *Canana*, *Xaragua*, aliæque. Sunt etiam in hac Inſula Fluvii complures, Lacus ac Fontes admodum piſcoſi. Præcipuam tamen & amœnitatem & commoditatem Incolis præſtant IV ingentia Flumina, quæ in ipſo Inſulæ umbilico, delapſa ex altiſsimorum montium jugis, in diverſiſsimas Mundi partes abeunt: *Juna* ad Orientem ad Occidentem decurrit *Attibunicus*, *Jacchus* Septentrionalibus, *Naibus* Meridionalibus aquis miſcetur, ſic ut quadripartito Inſula dividatur. Eſt præterea in Bainoa ingens Lacus, Indi *Haguei-gabon*, noſtri Mare Caſpium vocant, is infinitis undique fluviis auctus, nuſquam tamen excurrit aut exoneratur, ſed cuniculo abſorbetur: haud vanis conjecturis creditur rupes haſce ſpongioſas, per ſubterraneos meatus Maris aquam recipere, quod ibidem multitudo marinorum Piſcium inveniatur, & aqua maris ſalſugine infecta tota muriatica ſit. Alii inſuper quantumvis minores in hac inſula ſunt ſalſi Lacus. Vltra ſupradictos Lacus, ingens etiam Fluvius in Mare ſalſus decurrit, quantumvis dulcis aquæ infinitis rivulis fontibuſque auctus.

Cœli qualitas. Soli fertilitas.

Animalium varietas.

Urbium nomina

Flumina. Lacus.

IAMICA,